



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et  
Mi-||racvlis Clari, Opera**

**Seuse, Heinrich**

**Coloniae, 1615**

De strato illius. Capvt XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38029**

Sasonis dies  
natalitius.

stetit: ac nihilominus vt esset acrior cruciatus,  
aero & sale vulnera confricauit. Sacro die S.  
Benedicti, quo ipse in hunc miserabilem mū-  
dum fuerat editus, sub prandio in Sacellum  
um se contulit: quo obserato, sese exuens, a-  
repto flagello percutere cœpit, tetigitque in-  
nistro brachio venam cordis, quæ mediana  
dicitur, aut aliam vicinam, ex qua tum san-  
guis vbertim prorumpens, in imia per pedum  
digitos decurrebat, patimentum ipsum largi-  
ter madefaciens, moxque brachium impo-  
dio intumescens, liuidum accepit colorem.  
Vndè territus, non audebat amplius percutere.  
Eodem tempore eademque hora, cum se hoc  
pacto verberaret, sancta quædam virgo Anna  
nomine, in alia vrbe in castro quodam ora-  
tioni incumbens, in visione ducta fuit ad eum  
locum vbi se cædebat ille, visisque ictibus ter-  
rificis, nimium miserta, accessit ad eum pro-  
piùs, cumquæ iam extento brachio percussus  
erat, ipsa se interponens in suum brachi-  
um sibi visa est ictum illum recipere. Rediit  
porrò sibi ipsi, eundem ictum reperit atro li-  
ridoque colore in suo brachio designatum, quæ  
euidens hoc certæ veritatis documentum  
multo tempore admodum feridè retinuit in  
suo corpore.

*De strato illius.*

CAPVT XIX.

**P**ER idem tempus antiquum quoddam ac-  
iectitium adeptus ostium, in cubiculo iuxta  
lectum

lectum suum reposuit, in eoque dormire sole-  
 bat, nihil omnino habens operimenti, quo  
 corpusculo subueniret. Texuerat autem ipse-  
 met ex iuncis tenue oportorium, quod ostio  
 imposuit, idque non nisi ad genua illius exten-  
 debatur. Capiti cervicalis loco supposuit sac-  
 culum culminibus auenaceis refertum, cui a-  
 liud exiguum puluinar addidit. Nihil peni-  
 tus, ut dictum est, habuit eorum, quæ ad le-  
 ditvsum pertinent, & ut interdum incedebat,  
 in noctibus cubabat, hoc solo dempto, quod  
 calceis nudabat pedes, & crasso pallio sese in-  
 ducebat. Erat igitur stratum hoc miserabile. Qualiter eu-  
 buerit dor-  
 miturus.  
 Siquidem duri illi auenæ culmi glomeratim  
 sub eius capite iacebant, atque crux acutis cla-  
 vis eius dorsum compungebat. Brachia erant  
 obliteratis stricta nexibus, & lumbos cilicinum  
 vexabat subligaculum. Pallium nimio suo  
 premebat pondere, & ostium erat durum ac  
 rigidum. Iacebat itaque miserè affectus, & in  
 trunci morem se mouere non poterat absque  
 grandi dolore. Quod si somno pressus in cru-  
 cem durius incubuisset, clavi in ossa eius im-  
 pingebant: Interim crebros dabat in cælum  
 gemitus. Hyberno tempore admodum ma-  
 le ipsi erat ex frigore. Pedes enim more solito  
 extendens, nudos eos in ostio ponebat, quos  
 frigore confectos, cum ad se retraheret, sur-  
 sumque erectis genibus ad corpus adduceret,  
 sanguis in cruribus exagitatus dire eum tor-  
 quebat: ipsiq; pedes complebantur sanie, & cru-  
 ra intumescabant hydropici in morem: genua  
 cruenta erant & attrita, lumbi ex cilicino subli-  
 gaculo luridi ac vlcerosi. Dorsum sauciabat crux

Causa cur se-  
se tantopere  
affixerit.

Vt vel in ma-  
ximo etiam  
frigore ab i-  
gine abstinue-  
rit, & quam  
diu.

Paupertati ac  
castitati vt  
tuerit studio-  
sissimus.

corpus exhaustum erat rigore nimio, fauces si-  
ti arescebant, manus præ virium defectu tre-  
mor obtinuit, atque in his cruciamentis noctes  
exigebat & dies. Ferebat autem hæc omnia et  
ingenti ac intimo æternæ Sapientiæ Domini  
nostri Iesu Christi amore, cuius acerbissime  
passioni sese non nihil conformare volebat.  
Tandem relinquens hoc in ostio cubandi ex-  
ercitium, in cellulam quandam commigravit,  
cuius sella, in qua alioqui sedebatur, strati loco  
vsus est. Erat autem tam angusta & brevis, vt  
ea se extendere non posset. In hoc igitur ergo-  
stulo atque in ostio ante dicto annis octo som-  
num capturus recubuit cum solitis ligamine-  
bus suis. Erat tum illi in more, vt post Cõple-  
torium, quando in cœnobio degebat, in hypo-  
caustum vel ad fratrum fornacem se non rec-  
peret causa corporis calefaciendi, quantum  
acre sæuaret frigus, idque annis viginti quinque  
obseruauit, nisi forte quandoq; alia ex causa  
ire debuisset. Iisdem annis nunquam balneum  
vsus est, nunquam pedes lauit propter leuandam  
delicati corporis sui incommoda. Deinde hæc  
se continuit, vt æstate iuxta ac hyeme non nisi  
semel in die ederet, nec solum à carnibus, sed  
etiam piscibus & ouis abstineret. Multis annis  
tantam dedit paupertati operam, vt neque  
permisso, neque sine permisso vllum vellet nu-  
mum recipere vel atrectare. Non parum mu-  
lto tempore vsque adeo studebat cordis & cor-  
poris puritati, vt nulla corporis parte sese vel  
fricare vel contingere vellet, præterquam in  
manibus & pedibus.